



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Articulus I. De Juris Regulis generatim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



# TITVLVS XLI.

## De Regulis Juris.

**M** Ore suo, & hoc praesertim loco apposite, ad universalia à particularibus Imp. Justinianus, ejusque exemplo du-  
 titi SS. PP. Gregorius IX. & Bonifacius VIII. progrediuntur: & omnigeni Juris prolixæ deductioni subnectunt ejus Regulas, tanquam compendia quadam & summarias enarrationes; cum Leges Canonæque Juris Regulas, sicut originis, sic & tractationis ordine antecedant; quæ Regularum sensus visque & veritas sine ejus noticia non cognoscatur.

### ARTICVLVS I.

#### De Juris Regulis generaliter.

#### SUMMARIUM.

1. Regula varia acceptio.
2. Juris Regula definitio.
3. Et triplex utilitas:
4. Nisi, ut aliquando, male allegetur.
5. Regule alia Authentica, alia Brocardica sunt.
6. Brocardica non faciunt Jus:
7. Quod etiam Authentica non inducunt:
8. Sed inductum supponunt.
9. Brocardicarum usu.

10. Regula aliquando officium suum perdunt,
11. Et restringuntur per Exceptiones:
12. Quibus omnes obnoxia;
13. Idemque in accommodato sensu exaudienda sunt.
14. Exceptio Regulam declarat,
15. Firmatque in casibus non exceptis:
16. Eam tamen non ampliatur.

**R**egulae nomen varias significaciones habet; aliquando enim instrumentum, cujus in premissa olea est usus, l. Sed adde 19, §. 2. ff. Locati: aliquando normam, quæ reguntur lineæ, vel in opere suo artifices diriguntur, Columell. Lib. 3. cap. 13. aliquando præceptum scientiæ vel artis cujuscunque, præsertim vivendi præteribens normam, & corrigens, quod est distortum pravumque, ut sunt Canones, Leges, Statuta, can. Regula 2. dist. 3. Præfenti eique consona Rubricæ Pandectarum denotat generalem quandam Sententiam, Legum vel Canonum plurium summam paucis complectentem.

Postremò hoc sensu acceptam Regulam definiens Paulus ait, Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat, l. 1. ff. hie, ubi nomine Rei à JCT. non denotatur res seu factum in controversiam deductum: sed Jus de variis rebus, eodem modo se habentibus, constitutum, ut explicatior

X x x

cator

cator definitionis sensus sit, Regula est Sententia generalis, quæ de variis rebus, eandem rationem habentibus, diversis legibus vel canonibus constitutum Jus brevis orationis compendiosè complectitur ac proponit. Declaratur utriusque Juris exemplis; sic enim infames canon unus à Prælaturis & beneficiis Ecclesiasticis, alius à Magistratu, alius ab officio judicis & assessoris, alius à munere tabellionis & advocati removet: quæ jura diversis canonibus constituta paucis verbis complectitur Regula, *Infamibus portæ non pateant dignitatibus*, quæ est 87 in 6. Sic etiam lex una foeminas ab officio judicis, alia à tutela, alia à postulando, alia ab intercedendo seu fidejubendo repellit: quæ de pluribus actibus diversis legibus ob eandem rationem constituta breviter enarrat Regula, *Fœmina ab omnibus officiis civilibus vel publicis remota sunt*, quæ est 2. in *Pandectis*.

3. Regula sic declarata vis & utilitas non modica, nec una tantum est; quia imprimis, variorum Jurium de diversis rebus conditorum multitudinem succincta oratione complectendò, memoriam juvat. Dein eà vi pollet; ut secundum eam decidendi sint casus emergentes, si à Jure speciatim & expressè non sint decisi; quia tales casus decidendi sunt per similia, *l. Non possunt 12. ff. de LL.* cum similibus idem sit judicium, *c. Inter 4. in fine, de Rescriptis*: Similia autem vel maximè cognoscuntur ex Regula, de variis rebus constituta Jura similia complectente, *l. 1. cit.* Demum in dubio potior est causa ejus, pro quo Regula stat, *Glossa in Rubr. hic in 6. & Salicet. in l. Si fundum 4. C. Qui pot. in pign. hab. in fine*; ut, qui eam pro se habet, intentionem suam habeat fundatam, & contrarium sive casum à Regula exceptum probandi onus transferat in adversarium: & illò in probatione defi-

ciente, sententia à judice concipienda & promulganda secundum Regulam sit, *Baldus in c. 1. de Alienat. jud. mur. Decius in l. 1. cit. n. 6. & 7. & Tuschus Practic. V. Regula, concl. 94. à n. 13.* sic enim, quòd, in loco contractus forum quem sortiri, Regula sit, is, qui in tali loco convenitur, in eo si contraxit, judicium subire cogitur, *c. fin. de Foro compet. & l. Hæres 19. §. 2. ff. de Judiciis*: & si forum illud declinatorius excipiendò alleget, se contraxisse statim discessurum, §. 2. *cit.* exceptionem suam probare tenetur: & si hoc nequeat, à foro non absolvitur.

4. Sed hæc ita procedunt, si Regula perperam non allegetur: quòd duobus fere modis contingere solet: priori quidem, si Regula, certam duntaxat materiam spectantia Jura summam complectens, ad quamvis aliam, perinde ut, si omnibus communis esset, trahatur & allegetur; sic enim Regula, *In invito beneficium non datur 69. ff. hic*, quam de libertis conceptam inscriptio docet, extra materiam illam perperam extrahitur & applicatur servo; ut, si iste hæres à domino instituitur, liber & hæres invitus non evadat; cum eum à domino institutum post testatoris mortem, sive velit, sive nolit, protinus liberum & hæredem fieri, Juris sit explorati, §. 1. *Instit. de Hæred. qual. & diff.* licet in ejus arbitrio sit, utrum libertate datà frui vel ad servitutem redire velit, *l. Cum constitutio 15. §. 2. C. de Testam. manumiss.* Posteriori verò modò Jus perperam allegatur, cum in Regulæ citatione personarum, loci, temporis &c. circumstantiæ non attenduntur; cum enim modicà facti variatione varietur Jus, in Juris istiusque Regularum allegatione facti circumstantiæ præ oculis habendæ sunt, ut v.g. Regula, *Vim vi repellere licet*, *l. Ut vi 3. ff. de J. & J.* quæ ad incontinenti factam pertinet, ad repulsionem secutam ex interval-

intervallo: & Regula, *Par in parem imperium non habet*, ad parem in paris territorio delinquentem, sive ei sponte subijcientem non porrigatur, Panormit. in c. *Cum inferior* 17. de Majorit. n. 1. & Marth. Stephan. in l. 1. cit. à n. 5.

5. Dubium nunc est primò, an Regula inducat Jus. Sunt autem Regulæ quædam Authenticæ, aliæ merè Doctrinales, quæ à DD. Brocardicæ nuncupantur; quarum illæ Imperiali vel Apostolicâ auctoritate, & magnam partem præsentis utriusque Juris Rubricæ subjectæ: istæ verò à JCT. is, ex variis Juris textibus, quædam etiam ex Philosophorum dictis sunt depromptæ. De utrisque dubitatio procedit.

6. Brocardicæ, ut aliqui laudent, passim tamen reprehendunt alii: quos inter Franc. Balduinus ad Reg. *Caton. Vereor*, inquit, *ne hæc Interpp. audacia potius quam ars Jurisprudentiam prope totam corruperit, & Regularum locò multorum errorum nebulas offuderit.* Neque, ut videri potest, injuriâ, partim; quia earum non pauca ex dictis Philosophorum & aliis sunt depromptæ, vg. *Privatio supponit habitum. Non datur regressus à privatione ad habitum. Non erit nulla sunt qualitates; Mixta sapiunt naturam simplicis. In numeris nulla est ratio &c.* ex principiis autem unius Scientiæ ad aliam argumentum ducere, itaque mutare genus Scientiæ absurdum censet sanioris Philosophiæ Princeps Aristoteles *Lib. 1. Posterior.* partim verò; quia Brocardicarum Regularum multæ tot exceptos, quot sub Regulæ dispositione comprehensos casus habent; ut earum contradictoriæ non minus quam ipsæ veræ esse videantur, ut luculenter docent exempla trium Regularum Brocardicarum, *Spoliatus est ante omnia restituendus, In omni actu judiciali requiritur citatio, Sine litis contestatione*

*processus non valet: quarum primæ Gabrielius 70, secundæ Portius 124. postremæ Socinus 802. limitationes referunt.*

De Authenticis quoque, an Jus inducant, dubitandi ansam præbet Paulus, dum non ex Regula Jus, sed ex Iure, quod est, Regulam fieri, ait *l. 1. cit.* Quæ ratione ducatur, non immeritò quis ambigat; quòd ipsismet & VV. JCT. eorum aliorum responsa partem constituant Regulatum Juris Civilis, *l. Jus autem Civile ff. de J. & J.* & in causarum disceptationibus in vim Juris passim allegentur, *l. Si ita 13. §. 1. ff. de Liber. & postb. l. 1. &c. ff. de Regula Caton.* Cum eadem JCT. assertionem apertè pugnat; quòd SS. PP. & Ecclesiæ DD. Chryostomi & Augustini sint Regulæ prima, octava, & nona relatæ in Decretalibus Gregorianis: quæ, cum istarum compilationem pluribus seculis antecesserint, Jus Ecclesiasticum ipsæ fecerunt: non ex isto sunt confectæ. Cui dubitationi non leve pondus inde accedit; quòd multæ leges & canones extant & *hic in Rubr.* à Glossa referantur, in quibus eorum conditores disertè fatentur, hoc illudve propter Regulam à se constitutum. Quæ ergo ratione sustinenda est assertio JCT. i ex Regula Jus sumi, inficiantis.

8. Sed, inficiationi huic inhærendum, ipsa Regulæ definitio evincit; cum enim secundum hanc Regula diversis legibus aut canonibus constitutum Jus generalis & summarie orationis sententiâ, ferè sicut ex horto collectos diversos flores fasciculus, complectatur, sicut hunc ex illo collecti flores, sic leges & canones Regulam antecedunt. Et profectò, si præsentis Rubricæ à Bonifacio VIII, subjectæ 88. ad examen vocentur ac ponderentur, ne una quidem deprehenderetur, quæ novum Jus ipsa inducat, & ante constitutum non supponat, ut *ad hanc Rubr.* Glossa probè advertit.

X x x 2

Neque

Neque, Jus ex Regula sumi, persuadet eam in rem deducta ratio; quia imprimis, quæ ex VV. JCT.orum responsis constant Regulæ, ipsæ quoque variarum legum anteriorum compendiosæ sententiæ sunt, & Jus non tam faciunt, quam supponunt: cumque in vim Juris allegantur, id non fit; quod ab iis Jus tanquam ex fonte & capite dimanet: sed sint quasi lacus deductus ex variis fontibus & ad usum quotidianum paratus. Dein; quia memoratæ & si quæ aliæ sunt, SS. PP. Regulæ vel Naturalis aut Divini Juris præceptorum, vel ab Apostolis eorumque, primis successoribus, conditorum canonum succinctæ enarratio ipsæ quoque, vel propriè dictæ Regulæ non sunt: sed tales esse primùm ceperunt; cum tanquam canonum Ecclesiasticorum & legum antè conditarum ac receptorum breves summæ relatæ sunt in Decretales. Demum; quia, si quando legislatores aliquid propter Regulam à se constitutum asseverant, vel nomen Regulæ sumunt improprie, prout quodcunque præceptum denotat, vel id constituerunt propter Regulam ex variis juribus collectam.

9. Brocardicæ Regulæ, sive Axiomata, ullò Juris corpore non clausa, licet justò inclementius notata à Balduino, quamquam ut dicta & sententiæ Classicorū non contemnenda videantur, nequaquam tamen, ut advocati aliquando solent, temerè alleganda & adhibenda sunt in particularium casuarum decisionibus: nisi his accommodatorum canonum legitimæ auxiliò suffulta, vel Scholarum & Curiarum stabili & uniformi usu recepta sint & approbata.

10. Dubium secundò est, an Regula aliquando vitietur & officium suum perdat. Afferit id Paulus l. 1. cit. Quò sensu non convenit inter DD. Quidam enim se-

cuti Gothofredum in Notis ad l. cit. id contingere aiunt, si quoad unam partem malè sit concepta; ut, sicut norma rectis lineis ducendis accommodata, si in una parte curva, ad rectas lineas ducendas inepta est, sic Regula quoque vim seu officium & usum perdat, si Jura in compendium redacta ex una parte perperam enarret. Quam in rem appositè recitant Lucetii Versus:

*Denique ut in fabrica, Si falsa est  
Regula prima,  
Omnia mendosa fieri atque obstipa,  
necesse est.*

At, licet hoc non malè, ad mentem tamen JCT. propiùs accedunt, qui Regulam vitari & officium seu vim & effectum, non in totum, sed in parte perdere dicunt per exceptiones; quòd licet exceptio de Regula sit, eamque in casibus non exceptis confirmet, l. Cum Prator 12. pr. ff. de Judic. & l. Quæstium 12. §. 43. V. Nam qui, ff. de Instrum. & Instrum. leg. contra Regulam tamen sit, eamque in casu excepto restringat, vel ratione materiæ, vel ratione circumstantiarum. Ratione materiæ; quòd licet in una specie valeat, in alia tamen sub eodem genere contenta non procedat, sicut v.g. Regula, *Id, quod nullus est, occupanti cedit*, licet in animalibus, quæ mari, cælo & terra nascuntur, & in lapillis in maris littore reperiuntur & similibus, aut pro derelicto habitis rebus procedat, §. Fera 12. §. Quæ ratione 47. Instit. de Res. divis. officium tamen suum perdit & restringitur in libero homine, re sacra &c. quæ etiam nullius in bonis sunt. Ratione circumstantiarum v.g. personæ, loci, temporis &c. Regula restringitur, cum hæc Juris dispositionem mutant, sicut v.g. Regula, *Par in parem imperium non habet*, officium suum perdit & restringitur ratione loci, cum quis

cum quis in ejus, cui par est, territorio delinquit; cum delictum tribuat forum, l. 1. C. Ubi de Crim. agi op. §. c. fin. de Foro compet. quod ne dignitatis quidem prætextu declinari potest, l. 1. C. Ubi Senator. Joan. Andr. & Panormit. in c. Cùm inferior 17. de Major. & obed. & Matth. Stephan. in l. 1. cit. n. 12. Unde

12. Dubium tertio nascitur, an ergo Juris Regula admittat exceptionem. Ratio dubitandi minimè levis est; quòd hanc admittens falsitatis, cum natura Regulae apertè pugnantis, vitiò laboret; quia Regula est sententia generalis seu propositio universalis: quæ, si id, quod affirmat, vel negat, in uno sub generalitate contento non verificetur, ex Dialecticorum Regulis falsa est. Cùm ergo exceptio sit de genere Regulae, sub eaque contineatur partim; quia semper specialia generalibus insunt, l. Semper 147. ff. hic: partim verò; quia exceptio debet esse de Regula, l. Nam quod 4. §. fin. ff. de Penult. nam exceptio est Oratio, quæ de Regula detrahit; detrahi autem de Regula, quod eam non continetur, non potest; cum utique exceptiones ineptissimæ forent, Omnis homo risibilis est præter Bucephalum, Omnes libros, qui in Bibliotheca sunt, legi præter lapides, Omnem suppellestem Titio lego, exceptio vinò &c. Cùm, inquam, exceptio sub Regula contineatur, falsitatis vitiò laborat Regula, quæ patitur exceptionem. Hæc ratione decepta Glossa in ff. hanc Rubric. omnes Juris Regulas falsitatis argui posse, concedit.

Sed contra DD. torrentem & Regulam, Nulla Regula sine exceptione: quæ adeò vera est; ut exceptionem ipsa quoque non respuat; cum, licet fortassis nulla præsentis Rubricæ subjectarum, alia tamen Juris Regulae sine exceptione reperiantur, ut illæ, Liber homo non u-

scapitur; §. 1. Instit. de Usucap. Impubes Jure non testatur, l. Si cum 2. C. Quando provoc. non est necesse & similes aliæ.

Ne autem à Regula exceptionem penitus removeat ratio dubitandi, generales sententiæ, quas ex variis Juribus in summam redactis Regulae reddunt, non in absoluto, sed accommodato sensu sunt exaudiendæ: ut, sicut ab universali propositione, Cælum regit omnia, sic à Juris Regulis eximantur casus Jure specialiter excepti, in quibus eæ vitiantur & officium suum perdunt; itaque, sicut propositio Cælum regit omnia in omnibus, præterquam in ipso cælo, cætera omnia tegente, sic Regula verificetur in omnibus speciebus sub genere contentis, præterquam in Jure specialiter exceptis.

Neque refert; quòd exceptio sit de genere Regulae; quia hoc verum duntaxat est comprehensive: non etiam dispositivè; cum Regulam restringat, & sit contraria ejus dispositioni; quòd subdit aliqua ratio specialem casum eximendi à generali Regulae dispositione, Everard. Legal. arg. loco ab Exceptione n. 9. Dynus ad hanc Rubr. n. 9. & Decius in l. 1. cit. n. 19.

Dubium quartò est, de vi exceptionis in Regulam. Quam usu trita axiomata declarant. Primum est, Exceptio declarat Regulam; eò ipsò enim; quòd exceptio de Regula sit, ex qualitate exceptionis apparet; de quo genere Regula loquatur; cum istius verbis denotentur talia, qualia sunt excepta; sic enim mandatum procuratori datum ad omnes causas, præter causam in integrum restitutionis, non generali solum mandatò comprehensas, sed speciale etiam exposcentes causas complectitur: ut vi mandati, licet non majores, Clement. 2. de Procurat. minores tamen causas valeat pertractare, c. Qui ad agendum 4. eadem Rubr.

X x 3

dem Rubr.

## SUMMARIUM.

1. *Restringenda hac Regula est ad obligationes.*
2. *Ejus sensus.*
3. *Non procedit in obligationibus spiritualibus.*
4. *Et descenditibus ex delicto.*
5. *In aliis etiam necessaria non est.*

**R**egula hæc ad verbum refertur *§. Omnis*, post *can. Beata*, 27. q. 2. etque concordat *Regula 35. in Pandectis*, cujus tenor est, *Nilil tam Naturale est, quam eodem genere quodque dissolvere, quò coligatum est: cui subicitur, Ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario dissensu dissolvitur.* Quæ exempla Regulam nostram non paucis difficultatibus expediunt, dum ejus generalitatem ad obligationes, nec immeritò, restringunt; cum in rebus natura & arte factis apertè non procedat; igne enim produci ignem, non etiam extingui: lanam eò modò, quò rubra evasit, albam non reddi, experientià doceamur.

Magis, nec malè, Regulam coarctant *Glossa V. Omnis*, & *Panormit. pr. §. n. 2.* eam ad obligationes solum temporales reducentes; ut ejus

Sensus sit, *Omnis res, id est, omnis obligatio seu contractus temporalis ac civilis per quascunque causas, sive media & modos, contrahitur aut inducitur, per eosdem dissolvitur; cum serè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberemur, ex sententià Pauli ICT. & Regula 33. in Pandectis; sic enim emptio venditio mutuo consensu perficitur & dissolvitur ante traditionem: & post hanc factam, accedente mutuo consensu, contrarià rei & pretii red-*

*dem R. uor. in o.* sic etiam iegans omnem penum, præter vinum, quod Romæ habet, solum penum, quæ Romæ est, legasse videtur, *l. Nam quod §. 6. cit.*

15. Secundum, Exceptio firmat Regulam in contrarium in calibus non exceptis, *l. Quæritum §. V. Denique cit. §. l. Ex eo 18. ff. de Test.* cum; quia speciem aliquam sub genere contentam excipiens de cæteris sub eodem contentis cogitasse videtur, de iisque contrarium sentire, *l. Cum Prator cit. pr.* tum verò; quia verba Regulæ, cum generalia sint, omnes casus, quos significant & non excipunt, sub dispositione comprehendunt, *cit. Dynus n. 12. & Tuschus Concl. cit.* Nisi casus exceptis omnino similes, vel aliunde expressè vel tacitè sint excepti: aut ex aliqua ratione verisimile non sit, disponentem de iis idem, quod de aliis sensisse: vel demum correctio Juris aut aliquod absurdum sequatur.

16. Tertium, Exceptio non ampliat Regulam, hoc est, non facit, ut ejus dispositio comprehendat aliqua, quæ, exceptione non factâ, Regulæ verba ex proprietate sermonis non comprehensissent. Ratio aperta est; quia exceptio ex natura sua Regulæ detrahit, non addit: ab ea aliquid eximit, non includit aliquid, quod, illâ exceptione cessante, non includisset, *cit. Decius n. 23. & Tuschus Conclus. cit. n. 4.*

## ARTICULUS II.

## De Regulis Juris in Decretalibus Antiquis.

## REGULA I.

*Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.*